

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Henr. Ioh. Nepom. Crantz S.C.A. Maiestat. Consiliar.
Institut. Med. Et Mater. Medic. Vindob. Profes. Pub. Ord.
Acad. Imp. Nat. Curios. Et Societ. Botan. Flor. Sodal.
Materiæ Medicæ Et Chirurgicæ ...**

Crantz, Heinrich Johann Nepomuk

[Wien], 1765

I. Exsicc. Bibula.

urn:nbn:de:gbv:45:1-10196

vel ex debilitate partis humores haud coercentis oriantur, exsiccantium duo generalia constituentur genera, hæc humores, illa solida corrigentia, insipillantia nempe, & adstringentia, quorum priora interno dicata usui magis, in Materia Med. T. II. dicta, hic haud repeatam, cum de unica horum divisione solum dicturus sim, de coagulantibus nempe, tum de adstringentibus. Verum quia in recenti, nimio humore perfuso, ulceræ, fæpe nec evidens fluidorum tenuitas, nec certa solidorum relaxatio criminari potest, proin operosa hac curatione opus non sit, medicamenta exsiccantia ratione effectuum in sequentes classes distribuo.

I. EXSICC. BIBULA.

Hæc indicantur I. dum nec in fluidis, nec in solidis multa labes, sed ex solo fotu extravasati, mace-ratione leniori, ancipites ulceris recentis extremitates elaterem suum amisere quodammodo, ut impulsu viribus cordis humorum non coercere amplius, nec in vasa lateralia sufficienter impellere possint.

II. Ubi completo bonis avibus ulceri, cicatrix inducenda, CHARMETTON.

III. Ubi in ossium carie incommodus ex ossium cel-lulis humoris proventus Alex. MONRO, *Society in Edimburg* T. V. P. I.

Inter hæc sunt

Plumaceola simplicia, } fumis aromaticis imbuta
Rafa, } sicca.

Spongia præparata.

Hæc



Hæc vero cum lævia, porosa, sicca sint, ex extremitatibus hiantium vasorum humidum bibendo, & infuso attrahendo, ulceris liberant superficiem, siccioresque reddunt, ut haud continuo amplius maceratis, puncta contactuum augeantur, cohæsio increscat, impulsis resistentia fluidis maior ponatur, coercentur fluida arctius, & per lateralia vasa distribuantur felicius, sic demum totus compleatur hiatus. Nec repugnarem bibulos terrestrium pulveres in hanc classem revocanti, qui si impalpabiles sint, in parte molli indicantur, L. B. van SWIETEN, in ossea minus, CL. MONRO. Ex hoc censu sunt

Cancrorum lapides praeparati.

Corallia rubra praeparata.

Offa calcinata, præcedentibus magis bibula, sed etiam magis caustica caute applicanda.

II. EXSICC. ADSTRINGENTIA.

In solidis suppuratione maceratis debito maior, quam quæ simplici humidi absorptio emendetur laxitas, medicamenta, elementa fibrarum arctius compingentia, coadunantia requirit; quæ quoniam etiam imperforabilem partem reddunt, ob id duplē indicatio nem explent. Inter hæc usitatoria sunt

Aqua frigida in recenti ulcere proficua, CELS.

Aqua aluminosa.

Bolus.

